



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Iudicium episcopi qui pro crimine electus ab officio, posteà episcopatum  
morè prædonis inuasit. clxxxii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

D. BVRCHARDI EPIS. VVORMAC.

*Iudicium episcopi qui pro crimine eiectus ab officio,  
postea episcopum more prædonis inuasit.*

Cap. CLXXXII.

Ex regist.  
ad Ioānē  
episcopū  
primum  
Iustinia-  
næ, cap.  
17.

Vando mala quæ pœnitentiæ fletu purganda sunt  
augentur excessibus, ita maior est delinquentibus  
adhibēda correctio, vt & ipsi facinus suum pœ-  
na saltem vindicante cognoscant, & alios ab illicitis ec-  
clesiasticæ tuitionis timor inhibeat. Dilectissimus itaque  
lator præsentium Nemesion ad nos veniens, indicauit, si-  
cuit & gestorum exemplaria quæ huc detulit continebant,  
Paulum Doclauenæ ciuitatis episcopum, inter alia mala  
in corporali crimine lapsum, à suis fuisse clericis accusa-  
tum, atque habita cognitione, ita quod sine dolore dicere  
non possumus, claruisse, atque insuper, postquam conui-  
ctus est, etiam libellum illum, in quo ea de quibus accusa-  
tuſ fuerat vera esse confessus est, obtulisse. Qua de re sen-  
tentia illum episcopali depositum, & se eius loco cum fra-  
ternitatis vestræ consensu esse episcopum ordinatum: sed  
nunc eundem Paulum cum auxilio seculariū iudicum ve-  
nientem, episcopum more prædonis ingressum, ablatiſq;  
violenter rebus Ecclesiæ, ab eo se proiectum, & ad sum-  
mam iniuriam ac necem penè perductum. Et quoniam tâ-  
tæ nequitia prauitas, nec dissimulanda nec leuiter agen-  
da est, fraternitas vestræ hæc omnia diligenter curet ad-  
discere: & si ita se, vt edocti sumus, veritas habet, prædi-  
ctum Paulum districta faciat executione compelli, vt qua-  
cunque abstulit, omni mora vel excusatione cessante re-  
stituat. Si verò nihil Ecclesiæ sed proprium se dixerit ab-  
stulisse, quamuis graue & iniquum fuit, vt non à vobis vel  
metropolitano eius hoc peteret, sed ausu temerario ma-  
nu præsumeret agere: veruntamen si quid proprium tu-  
lit, sub fraternitatis vestræ debet examinatione constare  
si verum est. Sed & illud diligenter querendum est, si quid  
malè de rebus dilapidauit Ecclesiæ, vel quod nunc abstu-  
lit, hoc reformare, ac satisfacere, modis omnibus compel-  
latur. Si autem differre tentauerit, quoisque omne quod  
dilapidauit vel de substantia tulit Ecclesiæ restituat, in  
monasterium mittendus est, vt saltē coactus reddat, quod  
malè auferre non timuit. Quod si forte, quod non credi-  
mus, post depositionem suam inuercundū ac mente per-

uersa aliquid de episcopatu loqui atque rursus ad hoc  
qualibet aspirare præsumptione tentauerit, fraternitatis  
vestrae se contra improbitatem ipsius omnino vigor ac-  
cendat, atque dominici corporis & sanguinis communio-  
ne priuatum, in monasterium eum usque ad diem obitus  
sui ad agendum curet pœnitentiam retrudendum: qua-  
tenus perpetrat sceleris maculas, dignis discat fletibus  
emendare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter  
augere desiderat. Suprascriptus autem dilectissimus fra-  
ter noster Nemesion in suo loco & episcopatus officio  
proculdubio reformatur: & ne denuo hac de re inquietu-  
dinem ac molestiam patiatur, sollicitos vos esse necesse  
est: quia hoc non solum ad huius munitionem, verum etiam  
ad aliorum constat emendationem proficere, ut prauoru[m]  
hominum præsumptio nihil de cetero contra sacerorum  
canonum statuta, vel ecclesiasticam disciplinam ullo mo-  
do habeat attentare.

*Cur sancti apostoli eorumque successores voluerint diffi-  
cile esse accusationem sacerdotū. Cap. CLXXXIII.*

**T**alia cogitantes sancti apostoli eorumque successo- *Ex decre.*  
res spiritu Dei repleti, malos homines præudentes, *Fabiani*  
& simplices considerantes, difficilem aut nuquam volue- *papæ*  
runt esse accusationem sacerdotum, ne à malis potuissent *Orientali.*  
euerti aut submoueri: quia si hoc facile concederetur se- *episcopis*  
cularibus & malis hominibus, aut nullus, aut vix perpau- *misis,*  
ci remanerent, quoniam semper fuit & est, & quod peius *cap. 19.*  
est nimis viget, ut mali bonos insequātur, & carnales spi-  
ritales infestent. Idcirco, ut prædictum est, statuerunt ne  
accusarentur, aut si aliter fieri non posset, perdifficilis fie-  
ret eorum accusatio, & à quibus, ut supradictum est, non  
præsumeretur, neque à proprijs sedibus, aut Ecclesiis epi-  
scopi eiicerentur.

*Si episcopus expulsus, ausus fuerit ingredi ciui-  
tatem. Cap. CLXXXIV.*

**S**i episcopus expulsus, ausus fuerit ingredi ciuitatem è *Ex epist.*  
qua repulsus est, vel exire de loco in quo degere ius- *Bonifacij*  
sus est, iubemus eum in monasterio in alia prouincia con- *papæ, ad*  
stituto tradi, vt qui sacerdotio peccauit, degens in mo- *episcopos*  
nasterio corrigatur. *Gallie.*